

Non iudicate, ut non iudicemini.

Quid igitur? non oportet peccantes incusare? Etenim paulus hoc idem ait. Magis autem et illic christus per paulum dicens, tu quid iudicas fratrem tuum? et tu quid ad nichilas fratrem tuum, et tu quis es, qui iudicas alienum famulum? Et rursus, quare non ante tempus aliquid iudicate, donec ueniat dominus. Qualiter igitur alio ait, argue, increpa, deprecare, et peccantes in conspectu omnium argue, sed et christus petro. Vade argue eum inter te et ipsum solum, et si non audierit, et alium tibi ipsi appone. Si autem neque ita retrahetur, et ecclesie annuntia, et tantos constituit increpantes, et non solum increpantes, sed et punientes. Eum enim qui nullum horum audiunt, ethnicum esse et publicanum. Qualiter autem eis et clauas dedit. Si enim non sunt iudicaturi, nullorum habebunt dominationem, et inaniter ligandi et soluendi potestatem acceperunt. Sed et aliter, si hoc tenebit, uniuersa euanescent, et quae in ecclesiis, et quae in ciuitatibus, et quae in domibus sunt. Etenim dominator famulum, et dominatrix ancillam, et pater filium, et amicus amicum, si non iudicauerint, superaddetur malitia. Et quid dico amicus amicum, inimicos si non iudicauerimus, nunquam dissoluere poterimus inimicitiam, sed sursum et deorsum omnia efficientur. Quid umquam igitur est quod dictum est, intendamus cum diligentia, ut non farmaca salutis, et pacis leges, estimet aliquis euersionis esse, et confusionis leges. Maxime enim et per ea quae sunt deinceps, demonstrauit mentem habentibus legis huius uirtutem dicens. Quid uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quae est in oculo tuo non consideras? Si autem multis desidium, non manifestum adhuc esse uidetur, desuper id dissoluere temptabo. Hic enim ut michi uidetur, non simpliciter uniuersa peccata non iudicare iubet, neque simpliciter prohibet hoc tale facere. Sed his qui decem milibus pleni sunt malis, et aliis pro contingentibus superueniunt. Videtur autem michi, et iudeos hic enigmatice insinuare, quoniam amari proximorum existentes accusatores, pro paruo et nichilo, ipsi quae maxima erant insensibiliter peccabant. Quod et in fine exprobrans eos dixit, quoniam ligatis honera grauia et difficile portabilia, uos autem digito non uultis mouere ea, et decimatis mentam, et anetum, et derelinquitis quae grauiora sunt legis, iudicium, et misericordiam, et fidem. Videtur nimirum et in hos inuehere antea reprimens eos in quibus erant discipulos accusaturi. Et si enim nichil tale peccabant illi, sed tamen illis delicta estimabantur esse. Vt puta, sabbatum non seruare, manibus non lotis manducare, cum publicanis commorari. Quod et alio ait, qui culicem colant, et camelum transglutiunt, uerum et communem de hoc ponit legem. Sed et chorinthiis paulus non simpliciter iussit non iudicare, sed eos qui super ipsos sunt, non iudicare, et propter causam confessam, non simpliciter eos qui peccant non emendare, et neque indeterminate uniuersos tunc increpabat. Sed et discipulos magistris hoc facientes, uerberabat, et decem milibus malis obnoxios existentes, et eos qui innoxii erant detrahentes. Quod et christus hic enigmatice insinuauit, et non simpliciter enigmatice insinuauit, sed et multum substituit timorem et supplicium ineuitabile. In quo enim iudicio ait, iudicatis, iudicabimini. Non enim illum condempnas ait, sed teipsum, et terribile tibi facis iudicium, et certissimas noxias. Quemadmodum igitur in peccatorum dimissione, a nobis sunt principia, ita et in hoc iudicio, a nobis mensurae condemnationis ponuntur. Neque enim exprobrare oportet, neque superuenire,

Commented [ND1]: [fol.87ra]

Commented [ND2]: ualebit add. super lin.

Commented [ND3]: [fol.87rb]

Commented [CN4]: post tertis folis. Attendite a pseudo prophetis nota in marg.

Commented [ND5]: discipuli add. super lin.

Commented [ND6]: iudeis add. super lin.

Commented [ND7]: stimulabat add. super lin.

Commented [ND8]: uel iudicatione add. super lin.

Commented [ND9]: [fol.87va]

sed ammonere, non accusare, sed consulere, non cum contemptu superapponi, sed cum dilectione emendare. Non enim illum, sed te ipsum ultima tradis pena, non ignoscens ei cum oportuerit **calcolare** de his quae delinquant ab ipso. Vides qualiter haec duo mandata, et leuia sunt, et magnorum bonorum causa his qui persuadentur. Quemadmodum et malorum sunt causa, his qui non attendunt. Etenim qui dimittit proximo, se ipsum ante illum ab accusationibus eripuit, nichil laborans, et qui cum uenia, et bona mente ea quae delinquantur ab aliis inuestigat, multam sibi ipsi bonae mentis copiositatem a **calculatione** recondidit. Quid igitur si fornicetur ait, non dicam quoniam malum est fornicatio? neque emendabo impudicum? emenda quidem sed non ut hostis, neque ut inimicus expetens uindicatam, sed ut medicus farmaca instruens. Neque enim dixit, ne quiescere facias peccantem, sed ne iudicaueris, hoc est non amarus fias iudex, sed aliter, neque de magnis et prohibitis quod iam dixi, sed de non estimatis delictis, hoc dictum est. Ideoque dixit, quid uides festucam in oculo fratris tui. Etenim multi nunc hoc faciunt, et si uiderint monachum superfluum uestimentum habentem, legem ei premittunt dominicam, ipsi decem milia rapiens, et per unumquemque diem inuadentes. Et si uiderint copiosiori cibo potitum, amari efficiuntur accusatores, cotidie ipsi inebriantes, et crapulam patientes, nescientes quoniam cum propriis peccatis, maiorem sibi ipsis huic congregant ignem et omni seipsos priuant excusatione, quoniam enim oportet cum **diligentia** inuestigare quae tua sunt, tu **primus legem** posuisti, ita ea quae proximi sunt discernens. Ne igitur graue estimes esse, si et ipse tales subiturus es noxias. Hypocrita, extrahe primum trabem de oculo tuo. Hic iram ostendere uult multam quam habet aduersus eos qui talia faciunt. Etenim ubicunque uult monstrare magnum aliquod peccatum existens, et multam penam in ipso et iram, a contumelia incipit. Quemadmodum igitur ad illum, qui centum denarios expetebat, cum molestia dixit, pernitiose serue, omne debitum illud dimisi tibi, ita et hic hypocrita. Non enim affectionis hec talis calculatio, sed odii hominum est et uultum quidem, philanthropias id est amoris hominum premitit, opus autem ultimae pernitie complet. Impropriis superfluis, et accusationibus atterens proximos, et doctoris ordinem rapiens, neque discipulus dignus existens esse, propter hoc hypocritam ipsum uocauit. Qui enim in his quae aliorum sunt ita es amarus, ut et ea quae parua sunt uideas, qualiter in his quae tua sunt, ita factus es deses, ut quae magna sunt transcurras? proice primum trabem de oculo tuo. Vides quoniam non prohibet iudicare, sed iubet abstrahere primum trabem de oculo, et tunc quae aliorum sunt emendare. Etenim quae sui ipsius sunt, aliquis magis nouit, quam quae aliorum sunt, et quae maiora sunt magis uidet, quam quae minora, et se ipsum magis diligit, quam proximum, quare si procurans facis, teipsum procura prius, ubi et manifestius et maius est peccatum. Si autem teipsum contempnis, manifestum est quoniam et fratrem non procurans iudicas, sed odio habens, et diffamare uolens. Si enim et oportuerit hunc iudicari, ab eo qui nichil tale peccat non a te. Quia enim magna et excelsa philosophiae imposuit dogmata, ut non aliquis dicat, quoniam talia philosophari uerbis facile est **monstrare** uolens liberam suam pro palationem, et quod nulli eorum quae dicta sunt obnoxius est, sed omnia direxit, hanc dixit parabolam. Etenim et ipse postea erat iudicaturus. Ve uobis scribe et pharisei hypocrite dicens, sed non erat obnoxius his quae dicta sunt. Neque enim festucam abstraxit, neque trabem habebat in oculis, sed ab omnibus his existens purus, ita omnium emendabat delicta. Neque enim oportet ait iudicare alios, cum aliquis eisdem obnoxius fuerit. Et quid miraris si eandem legem ipse posuit, ubi et latro eam notam fecit in cruce, alteri latroni dicens. Neque times tu deum, quoniam in eodem iudicio sumus, eosdem cum christo **intellectus** dicens. Tu autem tui ipsius quidem trabem non solum non abstrahis, sed neque uides, sed iudicas, et abstrahere temptas. Sicut si aliquis ab hydropisi **contentus** difficili, uel ab alia aliqua egritudine incurabili, hinc quidem contempnet, incuset autem tumorem paruum contempnentem. Si autem malum est non uidere sui ipsius

Commented [ND10]: uel iudicare *add. super lin.*

Commented [ND11]: uel sententia *add. super lin.*

Commented [ND12]: [fol.87vb]

Commented [ND13]: [fol.88ra]

Commented [ND14]: sententias *add. super lin.*

Commented [ND15]: uel possessus *add. super lin.*

peccata, duplex, et triplex malum est alios discernere, eos qui sine dolore in oculis circumferit trabes. Etenim trabe grauius est peccatum. Quod igitur iussit per ea quae dicta sunt, hoc est, eum qui obnoxium est decem milibus malis, non amarum esse iudicem aliorum delictorum, et maxime cum parua haec fuerint. Non ab arguendo, non a corrigendo auertens, sed propria contempnere prohibens, sed alienis insilire. Etenim in magnam malitiam superaddi faciebat hoc, duplicem peritiem introducens. Qui enim meditatur contempnere sua magna existentia, inuestigare autem quae aliorum sunt amare, parua existentia et uilia, dupliciter corrumpitur, et in contempnendo propria, et in suscipiendo inimicitias et odia aduersus omnes, et in ultimam crudelitatem sine uenia per unamquamque diem in citando nos. Haec igitur uniuersa destruens per bonam hanc legislationem, induxit rursus et aliud preceptum dicens. Non date sancta canibus, neque proicite margaritas ante porcos. Quamuis procedens ait iussit, quod audistis in aurem, predicate super domos. Sed neque hoc contrarium est priori. Neque enim illic omnibus simpliciter iniunxit dicere, sed quibus oportet dicere, cum libera presentia dicere. Canes autem hic, eos qui in impietate uiuunt incurabili, et transmutationis quae est ad quod melius spem non habent, enigmatice insinuauit. Et porcos eos qui in inconuenienti uita semper conuersantur. Ac si uniuersis tales indignos dixisset esse tali auditione. Hoc itaque et paulus ostendens dixit. Animalis autem homo non suscipit ea quae sunt spiritus, stulticia enim ei sunt, sed et multis aliis in locis o uitae corruptionem, causam ait esse non suscipiendi perfectiora dogmata. Ideo iubet non expandere ianuas eis. Etenim pertinaciores efficiuntur, postquam didicerint. His enim qui bonae mentis sunt, et intellectum habent, reuelata, honesta apparent. His autem qui insensibiles sunt, cum ignorantur magis. Quoniam igitur a natura non possunt ea addiscere, ab ignorantia uerebuntur. Neque enim porcus nouit quid umquam est margarita. Ergo quia non nouit? neque uideat, ut non conculcet quae non nouit. Nichil enim fit amplius, quam iactura maior his qui ita dispositi sunt, et audiunt. Etenim sancta ut ebria uidentur ab illis, nescientibus quae sunt haec, et illi magis extolluntur et armantur aduersum nos. Hoc enim est non conculcent, et uersi scindant nos. Et tamen ita fortia oportebat esse ait, ut et postquam didicerint, in nullo capi possint, et non tribuere aliis occasionem aduersum nos, sed non illa tribuunt, sed hoc quod porci sunt hii. Quemadmodum et margarita conculcata, non quia contemptibilis est, conculcatur, sed quia in porcos incidit. Et benedixit uersi scindant, fingunt enim mansuetudinem, ut addiscant. Deinde postquam didicerint, alii pro aliis effecti, comedice detrahunt, subsannant, derident, ut deceptos nos. Propter hoc et paulus dixit timotheo, quem et tu custodi, ualde enim insurrexit nostris sermonibus. Et rursus alio, hos tales auerte, et hereticum hominem post unam et secundam ammonitionem deuita. Non igitur ab illis armantur, sed ipsi insipientes ita efficiuntur, ampliori elatione pleni. Propter hoc non parua utilitas est in ignorantia manere eos. Ita enim neque contempnent. Si autem didicerint, duplex est iactura. Etenim ipsi nichil hinc fructificabunt, sed nocumentum magis inde habebunt, et tibi decem milia tribuent negotia. Audiant qui omnibus inuerecundantur complicantur, et honesta contemptibilia faciunt. Etenim mysteria propter hoc ianuas claudentes perficimus, et indoctos prohibemus, non quia imbecillitatis accusemus ea quae perficiuntur, sed quia imperfecte multi ad ea adhuc dispositi sunt. Propter hoc denique et eis in parabolis multa loquebatur, quia uidentes non uidebant, propter hoc et paulus iussit scire qualiter oportet unicuique respondere. Petite et dabitur uobis, querite et inuenietis, pulsate et aperietur uobis. Quia enim magna iniunxit, et mirabilia, et omnibus iussit passionibus esse superiores, et ad ipsum duxit caelum, et studuit iniunxit non angelis neque archangelis, sed ipsi uniuersorum dominatori secundum quod possibile est similes fieri. Discipulos autem non ipsos solos hec dirigere, sed et alios dirigere iussit, et diiudicare pernitiosis, et eos qui non sunt tales, canes, et non canes. Multa autem est occultatio in hominibus, ut non dicant quoniam difficilia haec et

Commented [ND16]: iudicare add. super lin.

Commented [ND17]: [fol.88rb]

Commented [ND18]: [fol.88va]

Commented [ND19]: uel restitit add. super lin.

Commented [ND20]: uel imbecillia cognoscimus add. super lin.

Commented [ND21]: uel multum est add. super lin.

Commented [ND22]: uel quod occultatur add. super lin.

importabilia. Etenim in posterioribus petrus locutus est aliquid tale dicens. Quis potest saluari, et rursus, si ita est causa hominis, non confert nubere. Vt igitur non haec dicant et nunc maxime quidem et per anteriora ostendit facilia existantia, excogitationes ponens multas, et continuas, potentes persuadere. Iam autem et arcem inducit leuitatis. Non quamlibet excogitans mitigationem laboribus id est concertationem que est ab orationibus assiduis. Non enim ipsos studere oportet solos ait, sed et superius uocare auxilium, et omnino ueniet, et aderit, et copulabitur in agonibus nobis, et omnia faciet leuia. Propter hoc et petere iussit, et dare fide iussit. Verum non simpliciter petere iussit, sed cum instantia multa, et robore. Hoc enim est querite. Etenim qui querit, omnia proiciens a mente, ad illud solum efficitur quod queritur, et nullum presentium considerat. Et noscunt hoc quod dico, quicumque uel aurum, uel famulos perdentes inquirunt, a querendo igitur hoc, a pulsando autem hoc id est cum uehementia aduenire, et callidamente designauit. Ne igitur deses sis o homo, neque minis ostendas circa uirtutem studium, concupiscentia quae est circa pecunias. Illas enim multotiens petens non inuenisti, sed tamen et has sciens quoniam non omnino inuenies omnem mouens inuestigationis modum. Hic autem et promissionem habens quoniam accipies omnino, neque minimam studii illius, ostendis particulam. Si autem non confestim accipias, neque ita desperes. Propter hoc enim dixit, pulsate, ut monstret quoniam et si confestim non aperuerit ianuam, expectare oportet. Si autem non credis meae enuntiationi, saltem exemplo crede. Quis enim est ex uobis ait quem filius eo petet panem, nunquid lapidem dabit superaddet ei? In hominibus enim si continue hoc feceris, et molestus et grauis esse uideris. In deo enim cum hoc non feceris, tunc irritas magis. Si autem permanseris petens et si non confestim acceperis, accipies omnino. Propter hoc enim non confestim annuit, ut petas. Mane igitur hec faciens, et accipies omnino. Vt enim ne dicas, quid igitur si petiero et si non accepero, fundauit tibi parabolam, cogitationes rursus ponens, et ab humanis in confidendum de his inducens, monstrans per haec quoniam non petere oportet solum, sed et quae oportet petere. Quis enim est ex uobis pater quem filius eius petet panem, numquid lapidem superaddet ei? quare si non acceperis, quia lapidem petis non accipis. Et si enim filius es, non sufficit hoc ad suscipiendum. Quinimo et hoc ipsum prohibet accipere, petere filium existentem, quae non conferunt. Et tu igitur nichil petes mundanum, sed spiritualia omnia, et accipies omnino. Etenim salomon quia petiit quae petere oportebat, uide qualiter uelociter accepit. Duo itaque esse oportet oranti, et petere uehementer, et quae oportet petere, quia et uos ait, et si patres fueritis, manetis petere filios, et si non conferens aliquid a uobis petierint, prohibetis dationem, quemadmodum si conferens fuerit, annuitis, et tribuitis. Et tu haec excogitans, ne desistas donec receperis, donec inueneris ne recesseris, ne dissoluaris donec aperiatur ianua. Si enim cum hac adueneris mente, et dixeris si non accepero non recedam, accipies omnino, si talia petieris, qualia et petenti dari decet, et tibi petenti conferunt. Quae autem sunt haec? spiritualia querere uniuersa, ad dimittentem delinquentibus ita accedere dimissionem petentem, sine ira et excogitationibus sanctas manus eleuare. Si ita petierimus, accipiemus. Quia nunc derisio est peticio nostra, et ebriorum hominum magis quam uigilantium. Quid igitur ait, cum et spiritualia petiero et non accepero? Non cum studio pulsasti omnino, uel te ipsum indignum preparasti ad accipiendum uel cito dedisti. Et cuius gratia ait non dixit quae oportet petere? Et nimirum dixit uniuersa in anterioribus, et ostendit pro quibus oportet accedere. Non igitur dic, quoniam accessi et accepi. Nusquam enim est apud deum non accipere eum qui ita diligit, ut et patres uincat, quantum pernitium hanc bonitas. Si enim uos pernitiosi existentes nouistis dona bona dare filiis uestris, quantomagis pater uester caelestis? Hec autem dixit, non detrahens humanae naturae, neque malum confitens esse genus, sed ad differentiam bonitatis eius, dilectionem paternam pernitium uocans, tanta eius philanthropias id est amoris hominum, est

Commented [ND23]: uel sententias add. super lin.

Commented [ND24]: [fol.88vb]

Commented [CN25]: superaddet add. super lin.

Commented [ND26]: uel statuit add. super lin.

Commented [ND27]: uel rationes add. super lin.

Commented [ND28]: uel audendum add. super lin.

Commented [ND29]: [fol.89ra]

Commented [CN30]: petere add. super lin.

Commented [ND31]: uel adesse add. super lin.

Commented [ND32]: uel in orando add. super lin.

Commented [ND33]: uel sustinetis add. super lin.

Commented [ND34]: scilicet hoc add. super lin.

Commented [ND35]: scilicet hoc add. super lin.

Commented [ND36]: scilicet hoc add. super lin.

Commented [ND37]: [fol.89rb]

Commented [ND38]: sue add. super lin.

superhabundantia. Vides **cogitationem** ineffabilem sufficientem, et ualde desperatum, ad benignam suscitare spem. Hic igitur a patribus bonitatem monstrat, in anterioribus autem ab his quae maiora sunt dedit, ab anima, a corpore, et nusquam capitulum bonorum ponit, neque in medium adducit sui ipsius presentiam. Qui enim ita filium ad occisionem tradere studuit, qualiter non omnia nobis largietur? Nondum enim **euenerat**, sed paulus quidem hoc ponit ita dicens, qui proprio filio non pepercit, qualiter non et cum ipso omnia nobis largietur. Ipse autem ab humanis eis adhuc loquitur. Deinde monstrans, quoniam neque orationi oportet **confidere**, negligentes ea quae sunt secundum seipsos, neque studentes proprio solum credere studio, sed superius inquirere auxilium, et quae a seipsis sunt, simul inferre, continue hoc et illud ponit. Etenim ammonens multa, et orare edocuit, et docens orare, rursus ad ammonitionem agendorum uenit. Deinde ab illis rursus oportere orare continue dicens, petite, et querite, et pulsate. **Hinc** rursus, ad oportere, et ipsos studiosos esse. Omnia enim ait quaecunque uoueritis, ut faciant uobis homines, et uos facite eis. In breui omnia recapitulans et monstrans quoniam citissima est uirtus et facilis, et omnibus cognita. Et neque simpliciter dixit, omnia quaecunque uoueritis, sed omnia igitur quaecunque uoueritis. Igitur enim hoc non simpliciter apposuit, sed enigmatice insinuans, si uultis ait audiri, cum illis quae dixi, et hec facite. Qualia utique haec? Quaecunque uoueritis, ut faciant uobis homines. Vides qualiter ostendit et hinc, quoniam cum oratione et urbanitatis nobis diligentissime **est** necessitas? et non dixit quaecunque uis effici tibi adeo, hec fac ad proximum, ut non dicas, et qualiter est possibile. Ille deus ego autem homo, sed quaecunque uoueris effici tibi a conseruo, haec et circa proximum ostende. Quid hoc est leuius, quid iustius? Deinde et laus ante premia est maxima, ita enim est lex et prophetae. Vnde manifestum est quoniam secundum naturam nobis est uirtus, et ex nobis quae **oportet**, uniuersi noscimus, et non possibile est ad ignorantiam numquam refugere. Intrate per angustam portam, quoniam lata est porta, et spatiosa uia, quae abducit ad perditionem, et multi sunt qui ingrediuntur per eam. Et angusta est porta et **compressa** est uia, quae abducit ad uitam, et pauci sunt qui inueniunt eam. Et nimirum postea dixit, iugum meum benignum, et onus meum leue est. Sed et in his quae heri dicta sunt, idem enigmatice insinuauit. Qualiter igitur hic angustam eam esse ait, et **compressam**, maxime quidem si attendas, et hic monstrat multum leuem existentem, et suauem, et facilem. Et qualiter ait angusta, et **compressa** est facilis? quoniam uia est et porta. Quemadmodum igitur et altera, et si lata, et si spatiosa, et ipsa uia et porta est. Harum autem nichil mansurum, sed omnia pertranseunt, et quae tristia, et quae benigna sunt **uitae**, et non **solum** facilia sunt quae sunt uirtutis, sed et secundum omnia in fine rursus faciliora efficiuntur. Non enim pertransire labores et sudores, sed in benignum finem deuenire, in uitam enim desinunt, sufficiens est mitigare eos qui agones patiuntur. Quare et temporaneum laborum, et continuitas coronarum, et existere haec quidem prima, illa autem postea, maxima laborum fiet utique consolatio. Ideoque et paulus leuem tribulationem uocauit, non propter naturam eorum quae fiunt, sed propter **electionem** eorum qui agones patiuntur, et futurorum spem. Leuitas enim tribulationis ait, aeternam grauedinem gloriae operatur. Non **intendentibus** nobis his quae uidentur, sed his quae non uidentur. Si enim tempestates et pelagi nautis et occisiones, et uulnera militibus, et frigora, et glacies agricultoribus et pugillatoribus acutae plage, leuia et portabilia sunt uniuersa propter spem premiorum temporaneorum, et pereuntium, multo magis cum caelum preiacens fuerit, et ineffabilia bona, et immortalia premia, nullum aliquis sentiet imminentium periculorum. Si autem quidam **eam** et ita laboriosam esse estimant, suae desidia solum est haec suspitio. Vide itaque qualiter et aliunde eam facilem facit, iubens non colluctari **procellis**, neque tradere nosipsos porcis, et custodiri ab pseudo prophetis, et undique eos sollicitos constituens. Sed et hoc id est angustam uocare, maximum ad faciendum eam leuem, conferebat. **Vigilare** enim eos

Commented [ND39]: rationem *add. super lin.*

Commented [ND40]: uel contigerat *add. super lin.*

Commented [ND41]: uel audere *add. super lin.*

Commented [ND42]: et *add. super lin.*

Commented [ND43]: [fol.89va]

Commented [ND44]: decent *add. super lin.*

Commented [ND45]: uel tribulata *add. super lin.*

Commented [ND46]: uel tribulatam *add. super lin.*

Commented [ND47]: uel tribulatam *add. super lin.*

Commented [ND48]: huius *add. super lin.*

Commented [ND49]: ita *add. super lin.*

Commented [ND50]: consilium *add. super lin.*

Commented [ND51]: [fol.89vb]

Commented [ND52]: uiam *add. super lin.*

Commented [ND53]: tempestatibus *add. super lin.*

Commented [ND54]: ad uigilandum *add. super lin.*

preparabat. Quemadmodum igitur et paulus cum dicat non est uobis collectatio aduersus sanguinem et carnem. Non ut destruat, sed ut erigat sensus militum, hoc facit, ita utique et ipse excitans itineratores, asperam uocauit uiam. Et non ex hoc solum uigilare preparauit, sed et in apponendo, quoniam et multos habet qui claudicare faciunt, et hoc nempe est difficilius, quoniam neque manifeste se immittunt, sed occultantes seipsos. Tale enim est pseudo prophetarum genus. Sed ne hoc inspicias ait, quoniam aspera est et angusta, sed ubi desinit. Neque quoniam lata et spatiosa est quae contraria est sed ubi diuertit. Haec autem omnia dicit erigens nostrum desiderium, quemadmodum et alio dixit, quoniam uiolenti rapiunt illud. Qui enim in agone certat, cum uiderit manifeste agonothetam ammirantem laboriositatem agonum, animosior fit. Ne igitur mesti simus cum multa nobis hinc contingerint tristia. Compressa enim est uia, et angusta porta, sed non ciuitas, propter hoc utique neque hic remissionem oportet expectare, neque illic triste aliquid iam prestolari. Dicens autem quoniam pauci sunt qui inueniunt eam, rursus hic et multorum desidiam significauit. Et audientes erudiuit non multorum prosperitatibus attendere, sed paucorum laboribus. Plures enim ait, non solum eam non uadunt, sed neque eligunt, quod ultimae accusationis est, sed non multis oportet attendere. Neque hinc tumultuari, sed zelari paucos, et undique applaudentes, ita eam ambulare. Etenim non solum angusta est illa, sed et multi sunt qui peruertunt eam quae illuc fert uiam. Ideoque induxit. Attendite a pseudo prophetis, uenient enim ad uos in indumentis ouium, deintus autem sunt lupi rapaces. Ecce cum canibus et porcis alia species insidiarum et machinationis multo difficilior illa. Illi enim confessi et manifesti sunt, hii autem obumbrati. Ideoque ab illis quidem, abesse iussit, hos autem et perscrutari cum diligentia, ceu non possibile existens exprima eos perpendere immissione. Ideoque dixit attendite, ad dignotionem eorum diligentiores faciens. Deinde ut non angustam audientes et compressam, et quoniam contrariam multis oportet ambulare, et porcos custodire, et canes, et cum his aliud perniciosius genus hoc luporum, ut non multitudine tristium desides efficiantur, et contrariam cum multis incedant uiam, et cum his rursus, et sollicitudinem pro his habeant, meminit eorum, quae in patribus eorum facta sunt, pseudo prophetas uocans. Etenim et tunc talia contigerunt. Ne igitur tumultuemini ait. Nichil enim nouum neque extraneum continget. Secus ueritatem enim semper diabolus deceptionem substuduit. Pseudo prophetas autem hic, non hereticos enigmatice insinuari michi uidetur, sed eos qui uitae quidem sunt corruptae, faciem autem uirtutis circuminduuntur, quos adiectiuorum nuncupatione uocare assueuerunt multi. Ideoque induxit dicens, ex fructibus eorum cognoscetis eos. Apud hereticos est multotiens et uitam inuenire, apud hos autem quos dixi nequaquam. Quid igitur ait, si et in his funguntur? Sed capientur facile, talis enim est uiae natura, quam iussi ambulare, laboriosa, et fatigabilis, hypochrita autem laborare non utique eliget. Ideoque arguitur facile. Quia enim dixit, quoniam pauci sunt qui inueniunt eam, expurgat rursus eos, a non inuenientibus quidem figentibus autem. Iubens non eos qui faciem circuminduuntur solum inspicere, sed eos qui cum ueritate, participant eam. Et qua de causa non manifestos eos fecit ait, sed nos ad inuestigationem immisit? ut uigilemus, et in agone semper simus, non apertos solum, sed et occultos inimicos obseruantes. Quos igitur et paulus enigmatice insinuans dixit, quoniam benigno eloquio decipiunt corda innocentium. Ne igitur tumultuemur cum uiderimus multos tales et nunc existentes. Etenim hoc predixit christus antiquitus. Et uide mansuetudinem. Neque enim dixit punite eos, sed nocumentum patiamini ab eis, ne in custoditi eis circumcadatis. Deinde ut non dicas quoniam impossibile est cognoscere hos tales, rursus cogitationem ab exemplo humano ponit, ita dicens. Nunquid congregant de spinis uuas, uel de tribulis ficus? ita omnis arbor bona, fructus bonos facit, putrida autem arbor, fructus perniciosos facit, neque arbor putrida, fructus bonos facit. Quod autem dicit tale est, nichil habent mansuetum, neque dulce. Vsque ad pellem

Commented [ND55]: uiatores *add. super lin.*

Commented [ND56]: uia haec *add. super lin.*

Commented [ND57]: quo *add. super lin.*

Commented [ND58]: uel uoluit *add. super lin.*

Commented [ND59]: principem *add. super lin.*

Commented [ND60]: uel quietem *add. super lin.*

Commented [ND61]: [fol.90ra]

Commented [ND62]: inspectione *add. super lin.*

Commented [ND63]: uel cognitionem *add. super lin.*

Commented [ND64]: uel obseruare *add. super lin.*

Commented [ND65]: [fol.90rb]

Commented [ND66]: uel ypocritantur *add. super lin.*

Commented [ND67]: uel fictis *add. super lin.*

Commented [ND68]: prosopiam *add. super lin.*

Commented [ND69]: uiam *add. super lin.*

Commented [CN70]: ne *add. super lin.*

Commented [ND71]: uel rationem *add. super lin.*

est ovis. Ideoque facilis est haec cognitio. Et ut neque de contingenti dubites, carceribus necessitatibus comparat, omnia ea quae non possunt aliter fieri. Quod et paulus dixit, prudentia enim carnis mors est, legi enim dei non subicitur, neque enim potest. Si autem secundo exponit, ne est tautologia, id est idemtitas eloquii. Vt enim nullus dicat quoniam pernitiosa arbor, fert quidem fructus pernitiosos, fert autem et bonos, et difficilem facit cognitionem, duplici prolatione existente, non est ait. Pernitiosos enim fert solum, et bonos numquam affert. Quemadmodum et contraria arbor. Quid igitur non est uir bonus effectus pernitiosus? Et contrarium rursus est, et multis aliis uita plena est exemplis, Christus autem non hoc dicit, quoniam inmachinabile est, pernitiosum transmutari, aut bonum non est, transcendere. Donec fuerit pernitiei adherens, non poterit fructum bonum afferre. Transmutari enim in uirtutem potest pernitiosus existens. Manens autem inpernitie, fructum non afferet bonum. Quid igitur dauid bonus existens, non pernitiosum fructum attulit? Non manens bonus, sed transmutatus. Quia si mansisset quod erat continue non utique fructum talem attulisset. Non enim utique manens in ordine uirtutis, ausus est quod ausus est. Haec autem dixit et eos qui simpliciter detrahunt obstruens, et accusantium ora refrenans. Quia enim multi bonos a pernitiosis suspicantur, omni priuans eos excusatione, hoc dixit. Neque enim habes dicere quoniam deceptus sum, et paralogismum passus sum. Etenim certissimam tribui tibi cognitionem quae est ab operibus, et iubens ire ad operationes, et non omnia simpliciter conturbare, deinde quia punire quidem eos non iussit, obseruare autem solum, simul autem et uexatos ad eis mitigans, terrens et illos et transmutans, fundauit eis penam quae est ab ipso dicens, quoniam omnis arbor non faciens fructum bonum exciditur, et in ignem mittitur. Deinde minus difficile faciens hunc sermonem, induxit. Itaque a fructibus eorum cognoscetis eos, ut non principales has minas uideatur inducere, sed in ordine ammonitionis et consilii, eorum concutere mentem. Hic michi et iudeos enigmatica insinuare uidetur, tales fructus ostendentes. Ideoque uerborum iohannis meminit per eadem nomina penam eis subscribens. Etenim ille hec benedixit, securem et arborem incisam et ignem inextinguibilem, ad ipsos memorans. Et uidetur quidem una quedam esse pena id est comburi. Si autem aliquis diligenter inuestigabit, duae heae penae sunt. Qui enim comburitur, et a regno excidit omnino. Haec autem poena difficilior est illa, et nouimus, quoniam multi gehennam solum abhorrent. Ego autem casum gloriae, multum amariorem gehenna penam esse aio. Si autem non possibile est representare sermone, mirabile nichil est. Neque enim noscimus illorum bonorum beatitudinem, ut et miseriam a priuatione manifeste noscamus. Quia paulus qui haec manifeste nouit, sciuit quoniam excidere a christi gloria, omnibus est difficilium, et hoc sciemus tunc, cum in ipsam experientiam inciderimus. Sed nequando hoc patiamur, o unigenite dei puer. Neque accipiamus aliquando aliquam experientiam, incurabilis illius penae. Quantum enim est malum excidere a bonis illis, manifeste dicere non est. Verum ut possibilis ero, cogam meipsum et conabor per exemplum uobis id, et si secundum parum, facere manifestum. Substituamus enim puerum esse mirabilem, et cum uirtute, et regnum totius orbis terrarum habere, et ita esse uirtuosum ubique, ut possit uniuersos in dilectione paterna constituitur dispositionis. Quid igitur non utique estimatis patrem huius, pati quodcumque libenter, ut non excidat ab eius colloquutione? Quid autem uel parum, uel magnum malum non utique suscipere, ut uideat et potiatur eo? Hoc itaque et in gloria illa putemus. Non enim ita patri puer et si decem milies uirtuosus fuerit, suauis est et concupiscibilis, ut bonorum illorum requies, et dissolui et cum christo esse. Intolerabile est, et gehenna, et poena illa. Verum decem mille aliquis ponat gehennas, nichil tale dicet quale est, a beata gloria illa excidere, odio haberi a christo, audire quoniam non noui uos. Incusari quoniam esurientem eum uidentes non cibauimus, etenim decem milia melius est sustinere fulmina, quam faciem illam mansuetam uidere auersam a nobis, et tranquillum illum oculum non ferentem

Commented [CN72]: ea add. super lin.

Commented [ND73]: [fol.90va]

Commented [ND74]: cadere add. super lin.

Commented [ND75]: principaliter add. super lin.

Commented [ND76]: [fol.90vb]

Commented [ND77]: Morale xxiii. quoniam deterius pena est excidere a regno, et quoniam uirtuosa uita clarum perficit, non diuitiae uel potentatus. *notum in marg.*

Commented [CN78]: hec dixit add. super lin.

Commented [ND79]: uel nunquam add. super lin.

Commented [ND80]: uel filii add. super lin.

Commented [ND81]: uel supponamus add. super lin.

Commented [ND82]: filium add. super lin.

Commented [ND83]: [fol.91ra]

Commented [CN84]: etenim add. super lin.

uidere nos. Si enim ipse me existentem inimicum, et odio habentem eum et auersum ita persecutus est, ut neque sibi ipsi ignosceret sed traderet seipsum in mortem, cum post omnia illa neque pane illum esurientem dignum fecero, quibus iam eum oculis considerabo? Intende autem eius, et hic mansuetudinem. Neque enim dicit beneficia, neque quoniam eum qui in tantis tibi profuit despexisti. Neque enim dicit me qui ex eo quod non est, ad id quod est te deduxi, qui animam inspirauit, et preposui te omnibus quae sunt in terra, qui propter te caelum et terram, et mare, et aerem, et omnia que sunt feci, qui iniuriam passus sum a te, et diabolo in honorabilior esse oppinatus sum, et neque ita destiti, sed decem milia postea excogitavi, qui elegi effici seruus, qui alapis cesus sum et consputus, qui occisus, qui mortuus, morte turpissima, qui et superius pro te interpello, qui spiritum tibi largitus sum, qui regno te dignum feci, qui talia promisi, qui caput tuum uolui esse, et sponsus, et uestimentum, et domus, et radix, et cibus, et potus, et pastor, et rex, et frater, et heredem te elegi, qui a tenebris inpotestatem luminis deduxi. Haec enim et ampliora his habens dicere, nichil horum dicit. Sed quid? Solum eius peccatum. Et hic monstrat amorem, et desiderium quod habet circa te ostendit. Neque dixit ite in ignem qui paratus est uobis, sed qui paratus est diabolo, et prius dicit, quae inique fecerit. Et neque ita sustinet omnia dicere, sed pauca, et ante hos, illos uocat qui dixerunt. Vt monstret, et hinc iuste incusans. Quanta igitur pena non difficiliora sunt uerba hec? Si enim hominum aliquis benefactorem esurientem uidens, non utique despiciet, si autem et despiceret, sed exprobratus, eligeret magis ingredi terram quam in duobus uel tribus amicis haec audire quid patiemur nos in orbe terrarum uniuerso haec audientes, quae neque utique haec dixisset nisi pro his quae secundum seipsos sunt, excusare studuisset. Quoniam enim non impropers haec circumferebat, sed excusans, et pro monstrando quod non uane neque inaniter ad ipsos dixit, ite a me, manifestum est ex ineffabilibus beneficiis. Si enim uellet exprobrare omnia utique illa bona in medium induxisset. Nunc autem quae passus est, dicit solum. Timeamus igitur dilecti haec audire uerba quoniam non est ludus haec uita, magis autem presens quidem uita ludus est. Futura autem, non ludus sunt. Fortassis autem neque ludus solum est haec uita, sed et aliud hoc deterius. Non enim inrisum desinit, sed et multam fert iacturam his qui non cum diligentia ea quae sunt secundum seipsos, dispensare uolunt, quid enim a pueris dic michi distamus ludentibus, et domos fabricantibus nos qui preclaras domos fabricamus? quid autem ab illis facientibus pulmentum, nos qui lasciuimus? nichil nisi quantum quod cum pena hec agimus. Si autem nondum consideramus uilitatem eorum quae efficiuntur, mirabile nichil est. Nondum enim uiri facti sumus. Quando enim effecti fuerimus, sciemus quoniam haec ludibria, quia et illa effecti uiri deridemus. Pueri autem existentes, studiosa estimamus esse, et astra cum et lutum congregantes, his qui magnos construunt parietes, non minus sapimus, sed tamen confestim deperit, et decidit, et neque stantia utilia fient nobis. Quemadmodum igitur neque heae preclare domus. Ciues enim caeli, non utique poterunt suscipere. Neque utique patietur manere in eis, qui superiorem patriam habet. Sed quemadmodum nos pedibus haec destruimus, ita et ille prudentia euertit. Et quemadmodum nos pueros in euatione plorantes deridemus, ita et hii, haec lugentibus nobis non derident solum, sed et lugent, quia et comparabilia eorum sunt uiscera, et multa hinc est iactura. Simus igitur uiri, usquequo ad terram trahemur, in lapidibus et lignis, magna sapientes? usquequo ludimus? et utinam solum luderemus, nunc autem nostram tradimus salutem. Et quemadmodum pueri cum uacationem que est in his induxerint, litteras negligentes, ultima sustinent uerbera, ita et nos in his uniuersum studium consumentes, et spirituales expetiti doctrinas, tunc quae sunt per opera, et non habentes prebere, ultimum dabimus supplicium, et nullus est qui eripiat, et si pater fuerit, et si frater, et si alius quicumque. Sed haec quidem euacuabuntur omnia. Quae autem ex his fiet examinatio immortalis manet, et continua, quod

Commented [ND85]: [fol.91rb]

Commented [ND86]: cum exprobratur add. super lin.

Commented [ND87]: coram add. super lin.

Commented [ND88]: coram add. super lin.

Commented [ND89]: bonis add. super lin.

Commented [ND90]: ab eo eis add. super lin.

Commented [ND91]: uel quia monstrat add. super lin.

Commented [ND92]: puluerem laterum add. super lin.

Commented [ND93]: terrena add. super lin.

Commented [ND94]: [fol.91va]

igitur et in pueris efficitur. Pueriles quidem has congeries, patre propter desidiam eorum destruent. Eos autem ad plorandum constituite. Et ut discas quoniam haec talia sunt, quod maxime omnium esse uidetur studiosissimum, id est diuitias in medium inducamus, et ex aduerso eis ponamus animae uirtutem quamcunque uolueris, et tunc earum maxime uidebis uilitatem. Ponamus igitur homines esse duos, et nondum dico de inuasionem, sed de iustis diuitiis interim, et horum duorum, hic quidem congreget pecunias, et nauiget mare, et colat terram, et multos alios negotiationis inueniat modos, quamuis non noui, si haec faciens poterit iuste lucrari. Veruntamen sit et supponatur iusta lucra lucrari ipsum, et agros emere, et famulos, et quaecunque talia, et nulla accedat his iniusticia. Quidam autem alter tanta possidens, uendat domos, et uasa aurea et argentea, et tribuat indigentibus, sufficiat inopibus, curet egrotantes, eos qui in necessitate sunt soluat, eos qui in uinculis sunt abstrahat, eos qui in metallis sunt liberet, eos qui in laqueis sunt eripiat, captiuos soluat a penis. Cuius igitur uultis partis esse? et nondum quae futura sunt, sed interim quae hic sunt diximus. Cuius igitur esse uultis? congregantis aurum, uel soluentis calamitates, ementis agros, uel construentis seipsum portum hominum naturae, circumamicti multum aurum, uel coronati decem milibus laudationibus? Nonne hic quidem, angelo cuidam assimilatur excelso descendenti ad reliquorum hominum emendationem? hic autem neque homini, sed puero cuidam inaniter et simpliciter omnia congreganti. Si autem iuste pecunias congregare, ita est derisibile et amentiae ultimae, cum neque iuste cohaceruauerit, qualiter non omnibus miserabilior est hic talis? Si enim hic risus tantus, cum et gehenna aderit, et regni casus, quantis utique erit luctibus dignus, et uiuens, et deficiens, sed uis ut et aliam uirtutis tractemus partem? Itaque ducamus rursus alium hominem in potentatu existentem, omnibus precipientem dignitatem circumindutum magnam, preconem habentem preclarum, et zonam, et armigeros, et multum famulorum chorum. Nonne uidetur hoc magnum esse, et beatificabile? Eia igitur et huic rursus econtra ponamus alium, innocentem, et humilem, et mitem, et longanimum, et hic iniuriam patiat, percutiatur, et ferat facile, et eos qui faciunt haec benedicat. Quis igitur mirabilis dic michi, qui inflatus est, et inflammatus, uel qui contritus est? Nonne hic quidem assimilatur rursus superioribus uirtutibus, quae multam habent impassibilitatem, hic autem naturae spasmate uel hydropisim habenti, et multum flegmonem id est inflammationem? et hic quidem medico spirituali, hic autem genas inflanti puero derisibili? Quid enim magna sapientia homo, quoniam excelsus super aequum ueheris, quoniam te iugum mularum trahit? Et quid hoc? hoc enim et in lignis, et in lapidibus factum uidebit aliquis. Sed quoniam bona circumamictus es uestimenta? Sed uide eum, qui uirtutem pro uestimentis indutus est, et uidebis te ipsum quidem, assimilatum, illum autem arbori mirabilem ferenti fructum, et multam uidentibus, tribuenti et ferenti leticiam. Tu enim escam uermium et tinearum circumfers. Quae si superapponantur tibi, uelociter te nudum facient a decore isto. Etenim uestimentum, et aurum, et argentum, hoc quidem sunt uermium textura, haec autem terra et puluis, et rursus terra, et amplius nichil. Qui autem uirtutem circumamictus est, talem habet stolam, cui non solum tineae, sed neque ipsa mors nocere potest, et ualde decenter. Non enim a terra habent uirtutem, haec animi uirtutes, sed spiritus est uirtus. Ideo neque uermium subitiuntur ori. Certe enim in caelo uestimenta haec texuntur, ubi non tineae, non uermis, non aliud talium nichil est. Quid igitur melius est dic michi, ditari uel pauperem esse, in potentatu esse uel in dehonoratione, in lasciuiam uel infame? manifestum quoniam in honore, et lasciuiam, et diuitiis. Quapropter si res uis, et non nomina, terram dimittens, et quae in ipsa sunt, applicant ad caelum. Quae enim hic sunt, umbra sunt, quae autem illic sunt, res sunt immobiles, et fixae, et a nullo capi possunt. Eligamus igitur ea cum diligentia uniuersa, ut et a tumultu eorum quae hic sunt eruamur, et ad tranquillum illum nauigantes portum, cum multis honoribus et ineffabilibus helemosinae diuitiis appareamus.

Commented [ND95]: [fol.91vb]

Commented [ND96]: angelicis add. super lin.

Commented [ND97]: [fol.92ra]

Quibus sit omnes nos potiri gratia, et philanthropia, id est amore hominum domini nostri christi ihesu, cui gloria et imperium, in secula seculorum amen.